

† R. P. Patricius Brennan (1877-1951)

(Prov. Austral.)



Die 18 Maii huius anni (1951) apud Perth, Provinciae Australasiae, mortuus est in osculo Domini inclytus missionarius, olim notissimus in Hibernia, in Australia, in Nova Zelandia, in Insulis Philippinis, R. P. Patricius Brennan. Ortus in Hibernia ex piis parentibus abhinc septuaginta quattuor annis, post studia ecclesiastica absoluta sacerdotio auctus, missiones exteriores inhians, Episcopo Perthensi,

Exc.mo Gibney, qui tum temporis in Hibernia operarios apostolicos pro sua dioecesi quaerebat, libentissime se obtulit. In hac dioecesi undecim annos, praedicator eloquens, scriptor fecundissimus, moderator ephemericis diocesanae cui titulus *Catholic Record* et tandem parochus indefesse laborabat.

Anno 1914 una cum amico suo, Monsignore Robinson, ex eadem dioecesi, de ingredienda nostra Congregatione cogitabat. Ambo, facta prius pia peregrinatione ad Terram Sanctam et Romam, ingressi sunt in novitiatum nostrum apud Dundalk, in Hibernia. Facta professione religiosa, R. P. Brennan, post paucos annos ministerii missionalis in Hibernia, missus est ad Insulas Philippinas, ubi per duodecim annos missionarius zeulantissimus et Rector hunc campum vere redemptoristicum colebat. Linguam vernaculam huius populi cum ingenti labore tam*perfecte didicit ut Catechismum, Manuale Precum, plures hymnos a se compositos aliaque opuscula pro salute animarum derelictarum in hac lingua ediderit. Laboribus tandem fractus in Australiam est reversus.

Salute mox recuperata plures annos Australiam et Novam Zelandiam missiones et exercitia spiritualia praedicando peragrabat. Abhinc autem fere decem annos hydropisi aliisque infirmitatibus laborans, saepe dolebat nihil nisi ajostolatum calami sibi pro amore Divini Redemptoris iam remanere. Infirma valetudine non obstante, multis doloribus patienter toleratis, fere usque ad ultimum diem fideliter scribendo laborabat.

Inter eius hymnos notissimus est ille qui in plures linguas iam est redditus, hymnus pro festo Christi Regis, *Ilail Redeemer, King Divine.* Semper devotissimus erga Sanctissimum Sacramentum, plures horas cotidie in hac Divina Praesentia manebat, Mariale Rosarium frequenter in manu habebat et usque ad tertium diem ante obitum Sacrum litabat. Pneumonia bronchiali tandem tactus in nosocomium Sororum S. Ioannis a Deo translatus est. Domum relinquens P. Rectori dolenter dixit: « Semper in votis mihi erat mori in domo Congregationis ». Cui Rector: « Nihil melius cogitari potest quam quod Deus vult ». « Utique, Pater », respondit ille, « fiat Voluntas Dei ! ». Duabus diebus post sancte et placide obiit. Praesens erat ad Missam sollemnem de Requie Exc.mus Archiepiscopus Prendiville una cum coetu magno sacerdotum, religiosarum et laicorum. In coemeterio ultimae preces ab eius amico devotissimo et co-novitie R. Patre Robinson recitatae sunt. R. I. P.